

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1766

XX. Sponheimensia

[urn:nbn:de:bsz:31-295134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295134)

XX.

SPONHEIMENSIA.

JOHANNES COMES DE SPONHEIM IN STARCKEN-
BURG MAGNAM DITIONUM SUARUM PARTEM BALDUINO
TREVIRENSI ARCHIEP. IN FEUDUM OFFERT
ET AB EO RECIPIT.

A N N O M C C C X X X V I I I .

*Ex Henrici Christiani L. B. DE SENCKENBERG selectis juris & historiarum
tom. VI. pag. 466.*

NOS JOANNES DE SPONHEIM COMES, *Dominus in Starcken-
berg & MEZA DE BAVARIA* conjuges &c. notum facimus uni-
versis, quod nos ob plura beneficia, & promotiones fructuosas, quas,
& quæ Reverendus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus BAL-
DUINUS ARCHI-EPISCOPUS TREVIRENSIS nobis sæpius im-
pendit, pari consensu, & unanimi voluntate rite & legitime supportavi-
mus & resignavimus eidem Domino nostro, suo, & Ecclesiæ suæ Trevi-
rensis nomine, bona nostra allodialia infra scripta, videlicet mediam
partem Castri *Dille*, & quicquid habemus seu habere poteramus in ipso
castro & ejus suburbio; villis & curiis *Dille*, *Lamsheim*, *Dreifs*, *Creuz-
nach*, *Schwabenheim*, *Claustro Alawid*, *Perdesveld*, *Capell apud Kirch-
berg*, *Kyren*, *Zinzenrod*, *Gamunden*, *Molendino zu den Hecken*, *Kerwi-
ter*, *Gillendorf*, *Curia ante Castrum Dille*, *Molendino & Valle ibidem*, *Sel-
bach*, *Belche*, *Kelrod*, *Ruckenhus*, *Buchenburen*, *Soren*, *Wallenbor*, *Mo-*

lendino in Huxwiler, Luzenhausen, Niederweiler, & quinque sylvis, videlicet Belgerstrad, Steinbersrod, Dille, Eichholz, & nemore dicto der Scheid, cum Dominiis, castrensibus, fidelibus, ministerialibus, hominibus, villis jurisdictionibus altis & bassis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, piscariis, venationibus, nemoribus, redditibus juribus & pertinentiis universis ad ipsum castrum, suburbium, Dominium, nec non villas & curias praedictas spectantibus, prout ad nos pertinebant, seu pertinere poterant, communiter vel divisim, & quicquid habuimus seu habere poteramus in iisdem, quocumque nomine nuncupentur; Item villam nostram Trauerbach cum dominio, jurisdictione alta & bassa nec non consingis & pertinentiis suis universis fitis in littore Mosellæ, ubi dicta villa Trauerbach sita est, & quod nos Joannes Comes praefatus memoratum castrum, bona & villas, ac curias praenotatas cum omnibus juribus & pertinentiis praetactis recepimus & recipimus, ac nos recepisse recognovimus in feudum à praefato Domino nostro Archiepiscopo nomine quo supra cum onere fidelitatis, juramentis & servitiis in talibus feudis debitis de consuetudine & de jure recipere, & tenere debebunt dictum castrum, & bona caetera supra dicta post obitum nostrum haeredes nostri legitimi masculi, quibus deficientibus saemellæ, his deficientibus fratres nostri Henricus & Godfridus cum liberis suis utriusque sexus, quibus non extantibus Blanzstorie Comitissa de Veldentia, amita mei Joannis Comitis praedicti cum suis liberis utriusque sexus a praefato Domino nostro, suisque successoribus Archiepiscopis Trevirensibus in feudum perpetuo ut est dictum. Recognoscimus etiam nos Comes praedictus quod ab eadem Ecclesia Trevirensi in feudum descendunt, & ab antiquis retroactis temporibus descenderunt, pars Castri nostri Starckenburg & Suberheim, videlicet turris magna & Capella cum toto latere

illo, five parte illa tota prædicti Castri & Suberheim, quæ in Parochia Villæ *Enkirch* sita sunt. Item castrum nostrum *Birckenfeld* cum dominiis & bannis de *Birckenfeld* & *Brambach*, una cum Valle dicta *Iderdall* & Villis quibusdam sitis prope *Bannum* prope *Brambach* prædictum, quas *Cuno de Duna*, Dominus de *Lapide*, a nobis tenet in feudum, una cum omnibus castrensibus, fidelibus, ministerialibus, hominibus, villis, jurisdictionibus altis & bassis, pratis & pascuis, fundis, aquis, aquarum decursibus, piscariis, venationibus, nemoribus, redditibus, juribus & pertinentiis universis, & quicquid habemus, seu habere possumus, & quæ a nobis ulterius dependent in eisdem, seu ex eisdem dominiis, jurisdictionibus & bannis omnibus & singulis spectantibus ad eadem, qua ab antiquo ab Ecclesia Trevirensi in feudum descendunt, salvo jure Domini Trevirensis & suorum, & etiam nostri & nostrorum, scilicet homines *S. Petri* eo jure quo ipsos ab antiquo tenuimus ab Ecclesia Trevirensi, quodque nos nostras munitiones, villas, jurisdictiones, Dominia, homines, atque bona dudum recepimus, recepimus & tenemus in feudum a præfato domino nostro Archiepiscopo Trevirensi, Item ab eodem Domino nostro Trevirensi villas nostras *Elchwiler* & *Durpach* fitas in banno seu dominio de *Brambach*, quæ ante ab ipso Domino in toto non dependebant, de novo recipimus ac nos recipisse recognovimus in feudum & tenere; In cujus rei testimonium atque robur præsentibus sigilla nostra sunt appensa, & rogavimus nos ambo Conjuges prædicti, & præsentibus rogamus spectabiles ac nobiles viros Dominos *Georgium Comitem Hirfutum*, *Arnoldum* & *Gerhardum* fratres, Dominos de *Blankenheim*, *Hartardum* Dominum de *Schoneck*, *Gerhardum* Advocatum de *Hunoltstein*, *Hugonem* de *Lapide*, ac strenuum Dominum *Flache* sigilla sua una cum nostris sigillis appendere ad præsentem in testimonium omnium

præmissorum, & Nos *Georgius Comes Hirsutus, Arnoldus & Gerhardus Fratres Domini de Blanckenheim, Hartardus Dominus de Schoneck, Gerhardus Advocatus de Hunolstein, Hugo de Lapide ac Wilhelmus dictus Flache*, milites prædicti recognoscimus Nos ad preces spectabilis viri Domini Joannis Comitis de Sponheim Domini in Starckenborg, nec non Dominæ Mezæ de Bavaria conjugum prædictorum sigilla nostra una cum sigillis eorundem in evidens testimonium omnium præmissorum præsentibus appendisse. Datum anno Domini 1338. sabbatho proximo ante diem S. Mathiæ Apostoli.

Not. *Ex authentico* primus hanc chartam edidit L. B. DE SENCKENBERG. Quæ quum Badenibus rebus quam maxime inferviat, postquam hujus domus provincie Sponheimensibus ditionibus egregie fuerunt auctæ, illam coronidis loco ad jecimus, univervo huic operi nunc imponentes

F I N E M.



INDEX